

uerfis spatiis temporum ipsum metitur, vt Saturnus in 30. annis; Iuppiter in 12; Mars in duobus; Sol in 365 diebus, & sex horis fere; Venus & Mercurius similiter fere cum Sole; Luna vero in 27. diebus, & octo horis.

COMMENTARIUS.

COMPARAT hoc in loco prædictos duos motus inter se, assignas quoque tempora, seu periodos, quibus tales motus absoluntur. Inquit igitur, Primum motum, seu primum mobile, quod secundum ipsum est Nonum cælum, omnes alias sphaeras inferiores secum impetu suo rapere intra diem & noctem, idest, intra spatium 24. horarum, circa terram semel; Vnde talis motus non solum ab Astrologis, & philosophis, verum etiam a vulgo Diurnus appellari solet, quia videlicet completur in die naturali, qui complectitur 24 horas, vt copiosius in 3. cap. explanabitur.

DEINDE asserit, Inferiores sphaeras omnes, quamuis, vt dictum est modo, primo illo motu rapiantur ab oriente in occidentem, contra niti, hoc est, in contrariam partem tendere, nempe ab occidente in orientem, diuersis tamen temporibus. Nam, vt ait, octaua sphaera, seu cælum stellatum in 100. annis vnum gradum absolut suo motu; Ex quo efficitur, vt totus motus finiatur in spacio 36000. annorum: Quæ quidem motum Zodiacus circulus per mediū diuidit, sicut Aequinoctialis illum primum. Nam quemadmodum primus motus super polos mundi, & per Aequinoctialem circulum efficitur; ita etiam secundus motus super polos Zodiaci, & secundum Zodiacum circulum fieri ab Astronomis dicitur.

SVB HOC postea Zodiaco quilibet planeta, ait, in sua propria sphaera deferretur proprio motu contra cæli ultimi motum, puta ab occidente in orientem. Quod non ita intelligas, quasi ipsi planetæ per sese sub Zodiaco moueantur, sed quod cæli ipsi super polos Zodiaci moueantur, atque hac ratione secum deferant planetas semper sub Zodiaco existentes; & hoc in diuersis temporibus, vt perspicue ipse exponit.

QUA IN re licet hanc cælestium motuum harmoniam contemplari, vt quo sphaera aliqua propinquior fuerit primo mobili, seu primo illi motu rapidissimo, eo minus ei contra nitatur, tardiusque proprio suo